



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Apollonia. 9. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. APOLLONIA.

9. Februarii.

Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

S. Paul. 1. ad Cor. 13.

NEcdum, in flammis eruperat furor Decianus, cum anno ab incunabulis Servatoris L. supra CC. Decio prælusit Alexandriae, nescio, cujus hominis insania. Arrogavit iste sibi Vatis nomen, & factis ad populum criminibus id repente excitavit incendium, quod non nisi multo Christianorum sanguine extingueretur; quos inter facile princeps fuit APOLLONIA Virgo, quæ invalescente vulgi furore, cum jam totâ Vrbe eadem omnium vox audiretur, flammis addicendum, quisquis Christo non maledixisset, in Virtutis scenam protracta est. Et sanè præclare personam sustinuit Christianâ, quippe cui ore citius omnes, quibus ætas provecta in eum diem pepercerat, dentes, quàm Christus, evulsi. Quid agitis manus carnificû? fortem esse APOLLONIAM, excussi

G 2

dentes

dentos & fractæ malæ loquuntur; ad ma-
 jora tormenta provocare, nihil humile tam
 alta spondent principia. Ecce rogas ingens
 succenditur, crepant flammæ, furit popu-
 lus, minantur lictores; aut Christum abjice,
 aut in ignem abjiciere APOLLONIA; quid
 hic illa? paululum apud animum suum,
 quasi consultans subsistit; mox, bulliente
 jam sanctiore sub præcordiis igne, non
 morata tortores, generoso ausu ipsa involat
 in flammis, è flammis ad cælum evolat.
 I nunc Scævola fortissime Romuli Nepo-
 tum: Manus tuæ miraculum Rogus
 hujus Virginis extinxit.

Ex Surio.

M E D I T A T I O

De morbis.

1. Si labores aliquo morbo, memineris Deum
 Smorbum hunc, quicumque tandem sit, per-
 mittere, ut probet & exerceat patientiam tuam;
 quare patiens esto, & necessitatem verte in volun-
 tatem; murmurationes quippe, verba, motusque
 impatientis animi morbum tantummodo augent,
 ac te tuis, tibi que efficiunt gravem. Quomodo
 morbos ferre consuevisti?
2. Quos Christus infligit dolores, hos feras
 æquo & grato animo; his potissimum donis ac
 muneribus

muneribus cumulare solet amicos suos. Offer ipsi quidquid pateris. Dic: Domine, adauge dolorem, sed simul patientiam. Quæ Christus, quæ sancti passi fuerint, attende, inspicere crucem JESU Christi, profectò tua levior videbitur, imò dices, dolores tuos nullos esse, si cum doloribus Jesu componantur. *Quid hæc ad Dominum meum?*

3. Considera damnatorum supplicia, quæ tuis criminibus promeruisti: hæc consideratio non nihil suavitatis tuo dolori asperget, teq; à peccando prorsus deterrebit. Heu! piissime Deus, longè atrociora in inferno ferrem, si statim in peccato mors me opprimens, non reliquisset poenitentiae locum. Si pati non possim breviorum, ac tot solatiis mitigatum dolorem, quæ fieri poterit, ut æternos ignes sustineam? Deinceps, Domine, morbos meos patienter feram, quandoquidem horum morborum brevi tolerantia æternos ignes redimere possum. *Hæc omnia, quæ illic finire non poterunt, hæc redimi possunt.* Eucher.

S. VVILHELMUS, CONFESS.

10. Februarii.

Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditia, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc

G 3.

exhi-